



**R. P. Francisci De Oviedo Madritani, Societatis Iesv,
Theologiæ Professoris, Cursus Philosophicus**

**Oviedo, Francisco de
Lvgdvni, M.DC.LI.**

§. 1. Scopus difficultatis præfigitur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95503](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95503)

forma, etiamsi de facto modo existeret per existentiam formae. Rationem insinuaui saepe, praecipue Puncto praecedenti. Materia prima si existeret per existentiam formae, existeret per existentiam superadditam, & succederet per diuersas existentias, quas secum afferunt formae diuersae: ergo deficientibus omnibus formis, & deficientibus formarum existentis, posset Deus materiam aliquam tribuere existentiam distinctam ab illis, quas formae secum afferunt materiam, per quam posset existeret deficientibus existentis, quas illi posset formae vnica tribuere. Confirmo eandem doctrinam. Tenet communis sententia omnia accidentia materialia esse praesentia, per praesentiam quantitatis, & nihilominus adhuc in hac sententia dicimus accidentia posse separari a quantitate, & esse praesentia per modum alium, quem Deus illis distribueret distinctum a praesentia, quam haberent a quantitate, & de facto multi censent ita contingere in accidentibus Eucharisticis, existimantes esse in spatio per praesentiam materiam primam, quia ab hac quantitatem non distinguunt, vel quia illi specialiter, & non quantitati praesentiam circumscriptam tribuunt pro omnibus entitatibus, quae sunt in composito, dum illi sunt vnicae, & noui praesentia modum recipere illarum proprium, cum abque subiecto constituantur in Eucharistia: ergo eodem modo poterit contingere in existentia materiae, si semel admittatur ab ipsa distingui, etiam dicamus de facto existeret per existentiam formae. Ex his infraclum manet primum telum, quod in nos iaciunt Thomistae, videamus an alia robustiora habeant.

4 Obiicit D. Thomas: Omne esse accidentale includit formam accidentalem: ergo omne esse substantiale includit formam substantialem: ergo implicat esse aliquod substantiale sine forma substantiali. Retorqueo argumentum in Thomistis: omnis essentia accidentalis dicit formam accidentalem: ergo omnis essentia substantialis includit formam substantialem, sed essentia materiae primae, essentia Angelus, & essentia Dei sunt essentiae substantiarum: ergo sunt essentiae formarum substantiarum: ergo materia prima, Angelus, & Deus sunt verae formae. Videant quid respondeat Thomista, si tenendus est arguendi modus, quo nos impetunt. Ego illum non admitto, & facile respondeo concedendo antecedens, & negando consequentiam. Cerne disparitatem: omne accidens essentialiter ordinatur ad subiectum respectu cuius est forma, & ita haec est legitima consequentia: est accidens; ergo est forma. Substantia vero non essentialiter ordinatur ad subiectum cuius necessario sit forma, & haec est inepta consequentia: est substantia: ergo est forma substantialis, quia inter substantias sunt aliquae, quae ordinantur ad subiectum, cuius sunt formae, & aliae plurimae, quae nullum subiectum respiciunt, neque rationem habent formae, sicuti Deus, Angelus, corpus simplex si datur & materia prima.

5 Obiicies secundum: Implicat aliquid esse in rerum natura, quin sit sub determinata specie: sed si materia existeret sine forma, non existeret sub determinata specie: ergo implicat ita existeret. Minorem probat. Materia constituitur sub hac determinata specie per formam, & ex se est indifferens, ut contrahatur ad hanc vel illam speciem: ergo si esset sine forma, esset cum hac indifferencia, & non constituta sub determinata specie. Concedo maiorem, nego minorem, & distinguo illius confirmationem. Materia est indifferens ex se ut constituitur sub hac, vel illa specie materiae, & partis materialis, & determinatur per formam, ad determinatam speciem materiae, nego: est indifferens ad componendum hoc vel illud totum, & per formam determinatur, ut componat hoc totum, potius quam illud, ut constituat hanc speciem adaequatam totius, concedo. Deinde nego consequentiam, quia non repugnat esse in rerum natura entitatem aliquam sub determinata specie entis incompleti, & indifferenter ad componendum hoc, vel illud totum, quod cum alia comparte valet componere.

6 Obiicies tertio: Non potest esse natura hominis non contracta ad aliquod indiuiduum: ergo neque materia prima non contracta ad aliquam formam. Probatur antecedens: difficilius est existeret puram potentiam sine actu, quam vnum actum sine alio; ergo difficilius est existeret materiam primam, quae est pura potentia sine actu, quam ratio hominis, quae est actu sine differencia indiuiduali, quae est alius actus. Respondeo concedendo antecedens, & negando consequentiam. Ad confirmationem dico nihil posse esse difficilius, quam existeret vnum actum sine alio secum

identificato, idem enim esse sine ipso est implicatio, quae nulla maior. Itaque nego antecedens, & distinguo illud, quod subsumitur in consequenti; videlicet, materiam primam esse puram potentiam logicam, & obiectiuam, nego; passiuam concedo, & nego consequentiam.

Inquires an casu, quo materia prima conseruaretur sine forma, conseruanda esset eodem influxu, quo nunc conseruatur, vel alio, quo suppleretur defectus formae. Influxum futurum esse diuersum tenere videntur Conimbr. art. 3. citato, eundem permanens defendit Suarez supra num. 7. In hac sententia feror, quae iuxta dicenda Puncto sequenti, ubi probabo materiam primam ex se naturaliter posse existeret sine forma, necessario tenenda est. Do tamen materiam non posse naturaliter existeret sine forma, neque separatam a forma suam exigere conseruationem, & suarum sequor. Ratio conclusionis haec est: Actio creaturae terminata ad materiam, idem principium habet, idem subiectum (si actio creaturae subiectum habet) & nullam aliam circumstantiam per se distinctam respicit, quando materia habet formam, & quando illa caret: ergo nullum est caput, ex quo assignetur distinctio inter actionem terminatam ad materiam carentem forma, vel illam habentem: respicere in utroque casu eadem circumstantias a quibus per se dependet, probatur, quia actio creaturae materiae per se non dependet a materia, neque a negatione materiae, a quibus ex vi actionis independens constituitur: ergo nihil est speciale in vno casu, quod non sit in alio, a quo actio creaturae per se physice dependeat.

Dices, creationem esse debitam, quando terminatur ad materiam informatam, & indebitam quando respicit materiam existentem sine forma. Contra: esse debitam aliquam entitatem cum his circumstantiis & indebitam sine illis, non dicit diuersitatem entitatis, quae debita, vel indebita dicitur, vel circumstantiarum, ex quibus resultat, vel non resultat debitum, eundem enim influxum, quem Deus modo exhibet ad exigentiam causae naturalis, & debitus dicitur, potest praestare nullam causam exigentem talem influxum, & indebitus dicitur, sicuti eandem pecuniarum externam largitionem, quam modo exhibeo ex iustitia, possem ex liberalitate exhibere, si mihi nulla esset iustitiae obligatio. Doctores nonnulli, qui asserunt actiones externas specificationem diuersam desumere ex diuersis motibus actuum, a quibus imperantur, consequenter dicere possunt per diuersam actionem conseruari materiam primam cum forma, & sine illa, iuxta communem sententiam asserentem materiam primam existentem sine forma non exigere propriam conseruationem, quam exigit quando est cum forma, quia quando Deus materiam conseruat sine forma caret motiuo, quod habebat ad illam conseruandam cum forma, quod erat exigentia, quam propriae conseruationis habebat materia.

PUNCTUM VII.

An materia dependeat a posteriori, a forma? an possit naturaliter existeret sine illa.

1 QUAERITUR sub praefixo titulo continentur productionem charitam exposcent, quam apud auctores communiter fortituntur, ideo longius alius rem tractabo.

§. I.

Scopus difficultatis praefigiatur.

2 MATERIAM primam non posse naturaliter existeret sine forma supponunt, & non disputant, plerique Doctores ita sentiunt praeter alios plurimos Suarez, Conimbr. Rub. & Hurtadus, qui perspicuum esse affirmant, omnes locis citatis, Puncto praecedenti. Qui hanc sectantur sententiam dependentiam quandam a forma materiae tribuunt, ratione cuius naturaliter esse non possit sine forma. Doctissimis recentioribus haec dependentia a posteriori difficilis visa est, existimant enim terminis ipsis *dependentiae*, & *a posteriori*, quod sonat ab effectu, implicationem inuolui, quia nihil a suo effectu dependere potest. Arriaga supra asserit se fundamentum talis dependentiae non inuenire, nihilominus illam defendit, asseritque nos posse probabiliter eam tueri fretos communis auctoritate.

Dependen

2 Dependētia à priori omnibus est satis nota, quæ est ab aliquo se tenente ex parte causæ, & actus primi ad effectum. Dependētia à posteriori appellant communiter Doctores connexionem, quam habet causa cum effectu, vel quævis entitas cum illa, quam non supponit ex parte actus primi, & sine qua esse non potest. Ita Suarez disp. 15. Metaph. sect. 8. n. 16. & tom. 1. in 3. partem disp. 8. sect. 1. Fonseca, Metaphysic. 2. q. 3. sect. 1. Dependētia hanc non à causa acuti recentiores partiuntur, in dependētia à posteriori, & in dependētia ab aliquo comitante. Dependētia à posteriori est connexio, quam habet causa cum effectu, sine quo subsistere nequit. Dependētia à comitante est, quam habet entitas cum alia, quæ rationem non habet causæ, neque effectus respectu illius, & sine qua subsistere non potest, talis est dependētia vnionis ab extremis, quæ annexit, quæ omnium strictissima est. Dari dependētia non à priori, hoc est non à causa, siue illa à comitante, siue à posteriori appellanda sit, nulli dubium esse potest, vnio enim dependet ab extremis, quæ illius non sunt causæ, & quilibet modus per creationem productus, v.g. præsentia, quam dicam posse creari essentialiter connectitur cum subiecto, quod præsens constituit, sine quo naturaliter esse non potest. De dependētia causæ ab effectu, quam recentiores prædicti etiam communi sententiâ dependētia à posteriori vocant non leuē mihi rationem indidit dubitandi doctissimus Magister, quam postea aperiam.

3 Præmoneo non omnem causam habere connexionem necessariam cum omni effectu, quem naturaliter producit, ita vt si effectus impediatur naturaliter illa subsistere non possit. Patet in igne producente necessariò calorem, in materia applicata, qua productione impedita naturaliter subsistit, nullus enim dixit ignem non comburentem Babylonicos pueros supernaturaliter fuisse conseruatum ex defectu productionis, quam intendebat. Secundò agens naturale, cuius actio ab alio naturali agente impeditur, naturaliter conseruatur, vt patet in agente frigido, quod propter resistentiam contrarij non agit in passum: ergo etiam illius concursus supernaturaliter à Deo impeditur, eodem modo exigeret sui conseruationem, quia in vtroque casu idem illi impeditur influxus, & cum maiori violentia quando impeditur ab agenti naturali, vt probabo 2. Physic. Controuers. 6. Neque hæc connexio datur necessariò in causis respectu simplicium emanationum, quia aqua per simplicem emanationem frigiditatem vt octo producit, sine qua absque miraculo frequenter conseruatur.

4 In materia de qua pocedit nostra disputatio potest hæc dependētia à posteriori esse immediatè ab ipsa forma, vel tantum à dispositionibus immediatè, & mediatè à forma. Quomodocumque illa sit eandem difficultatem habet, quia vtraque est ab aliquo posteriori naturâ, cum quo dependētia annexere haud facile est. Illico expendam, quod contra hanc dependētia acutè excogitarunt recentiores.

5 Adhuc reiectâ dependētia à posteriori materiæ à forma sentiunt multi, suppositâ iam materiâ productâ in primo instanti suæ creationis cum forma, non posse sine illa naturaliter existere, quia non potest expelli forma, quam semel acquisiuit materia, aliâ formâ non introductâ, neque illius dispositiones ad aliam formam, quæ illam secum necessariò trahunt postquam de dependētia dixerim, discutiam.

§. II.

Dependētia à posteriori causæ ab effectu discutitur.

6 Omnis causa est prior naturâ effectu: ergo antequam sit effectus supponitur entitas causæ: ergo supponitur quidquid necessarium est, vt existat: ergo quocumque alio existente, vel non existente erit causa: ergo causa non dependere potest ab existentia effectus, ergo deficiente effectu subsistit causa. Dices supponi quidquid necessarium est ex parte actus primi ad effectum, non verò quidquid est necessarium illo posteriori, & ita non quocumque alio deficiente erit causa, requiruntur non solum illa, quæ causam antecedunt, sed quæ sunt illa posteriora, à quibus etsi non à priori, à posteriori dependet. Contrâ: implicat id, quod est posterius aliquo requiri ad illud quod ipsum præcedit, quod sic probò: illud, quod est posterius nullum

influxum physicum, neque moralem potest præstare in illud quod est prius, quia illud supponit iam existens cum omni dependētia physica à suis causis & causis determinatas in actu secundo ad productionem: ergo neque potest physicè influere, neque moraliter determinando causas, vt influant, ergo nullo modo: ergo causa non indiget effectu, vt existat, etiam si necessariò sit cum illo connexa, quia ab ipso necessariò dimanat, quod non est ab illo dependētia habere, sed effectum necessariò dependere à causa, à qua necessariò dimanat. Ob quod entitas causæ ex vi suæ productionis poterit absque effectu consistere, si Deus illum impediatur, ubi negatio effectus miraculosa erit, & non causæ conseruatio, sicuti in igne Babylonico contigit. Ad rem multum pulchra verba, quæ ex D. Th. in 4. distinct. 44. q. 1. art. 1. satis opportunè referuntur. *Illud, quod intelligitur in materia ante formam, remanet in materia post corruptionem, quia remoto posteriori remanet adhuc prius.* Quibus verbis docet Angelicus Doctor corrupta forma, seu destructo composito remanere illud, quod erat ante formam & compositum, scilicet materiam, rationem, quam supra expendebam, reddit Angelicus Doctor, *quia remoto posteriori, hoc est effectu, remanet adhuc prius*, hoc est causa, quæ antequam effectus esset, existens supponebatur, & supponebatur illius principium determinatum ad illius productionem, vel conseruationem, namquam enim ex præuisione effectus potest Deus, aut alius principium determinari ad producendam causam, quia antequam videatur effectus, causam præuideri productam necesse est.

7 Nullus qui ingenuè rationem hanc meditetur, non illam magni momenti ad hanc dependētia à posteriori expugnandam asse agnoscat. Nihilominus in gratiam communis sententiæ explicabo quomodo hæc dependētia à posteriori defendi possit, ita vt hæc illatio à posteriori vim habeat: non existit effectus: ergo causa non naturaliter conseruatur, vel producit in illo instanti temporis, in quo est effectus negatio. Posset quis excogitare entitatem aliquam, quæ postquam sit producta non petat conseruari nisi casu, quo Deus sit determinatus priusquam illam conseruet ad concurrendum cum illa ad effectum producendum, & similiter si naturaliter producenda sit, exigat vt antequam Deus illam producat, supponatur determinatus ad concurrendum cum illa ad effectum, qui necessariò oritur ex illa causa producendum, in quo casu productio & conseruatio causæ supponit determinationem Dei ad concurrendum cum illa, non absolutam, quia antequam Deus determinatus sit ad producendam causam, non potest esse determinatus ad concurrendum cum illa, quia concursus cum aliqua causa supponit existentiam causæ, sed conditionatam, si produxero, vel conseruauero concurrere cum illa, quo decreto præmissum non potest causa adhuc de potentia Dei absoluta, non connecti cum effectu, à quo si dependeat absoluta productio causæ, dependebit ab aliquo, quod simul cum existentia causæ, necessariò connexum est cum effectu, & consequenter dependebit mediatè ab effectu, non à priori, sed tanquam ab aliquo ita connexo consequenter; & tanquam cum effectu, cum illo, quod productio causæ supponit tanquam quid antecedens, ita vt de potentia Dei absoluta illo posito, non possit non esse, & ita erit legitima consequentia: non est effectus: ergo causa non fuit producta, præsupposito decreto conditionato concurrendi cum illa, casu, quo Deus illam produceret, ergo non fuit producta naturaliter, quia entitas huius causæ exigit produci hoc decreto præmissum, ita vt si aliter producat, illius productio sit contra, vel præter id, quod exigit entitas ex sua natura.

8 Alio modo posset dici dari causam non naturâ suâ exigentem hoc decretum tanquam quid præmissum ad sui productionem vel conseruationem, sed scientiam conditionatam, quæ Deus agnoscat, hanc causam habituram effectum, si Deus illam producat, ita vt voluntatis actus, quo Deus causam producit iuxta id, quod ex natura sua exigit necessariò supponat talem scientiam, quæ deficiente subsistere non posset, sed si Deus causam produceret independentè à præuisione effectus futuri sub conditione, vel quam vidit talem effectum non habituram, si Deus causam producat, talis productio non esset naturalis, neque conformis exigentiæ effectus producti, cuius absoluta existentia supponit effectum sub conditione futurum, tanquam obiectum scientiæ requisitè ad actum voluntatis, ex vi cuius Deus iuxta ipsius naturam causam est producturus.